



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Pvgnā Spiritvalis

Scupoli, Lorenzo

[S.l.], 1599

VD16 S 5184

Cap. XVIII. Quo modo idem diabolus sæpe moliat̄ur nos à via virtutu[m]
absterrere & abducere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49116](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49116)



CAPVT XVIII.

*Quisibus dolis diabolus nos à virtu-
tum studijs abducere mo-
liatur.*

VTitur porrò diabolus alio quodam astu, vt nos in via virtutum ambulantes, abducatur in deuia: Id est, à virtute in vitium. Accidit enim quādoque, vt in graui infirmitate verè patienti; ne si ita perseueret, virtutum patientiæ consequatur; diabolus suggerat motus ac desideria huius vel illius boni operis faciendi, si sanitati restitueretur: quodq;

G 6 Deo.

Deo rectius, ac dignius seruire: sibi, suisque, & pauperibus plura officia, beneficiaque præstare possit sanus, quam infirmus. Et hæc desideria in tali infirmo paulatim magis magisque accendit, donec eum pertæsum & impatientem reddat infirmitatis suæ, quòd per eam ab istis bonis faciendis impediatur. Atque hoc dolo eum, qui ad virtutem Patientiæ sese exercebat, in Impatientiæ vitium nequiter præcipitat.

Neque hoc satis: sed pergit, & eidem infirmo suggesta desideria de bonis operibus, quæ sanus facere posset, rursus

sum

sum dolosè eximit, ipso etiã non aduertente: solumque in eo desiderium sanitatis recuperandæ relinquit: aut si eam non propediem obtineat, in grauem tristitiam, & ipsissimam labatur Impatientiam.

Contra hunc ergo nefarij hostis dolum, deceptionemque, remedium optimum est, vt in infirmitate, aut alia quacunq; aduersitate constitutus, sedulo caueas, ne motũ, desideriumque in animum admittas vllum, quod non possis quãprimùm implere: alioqui reddet te sollicitum ac inquietum. Huiusmodi ergo desiderio re-

*Remedium
contra
hunc
dolum
diaboli.*

cuperandæ sanitatis, quod inimicus suggerit, constanter responde: Stabat mater dolorosa iuxta crucem IESU. Vah calide serpens: Stabat Mater Domini mei IESU CHRISTI cum cæteris sanctis mulieribus sub cruce tristis ac desolata: cum hac sancta societate malo sub cruce mihi à Deo meo imposta stare, quâ cum te superbo ac perduto, vexillum crucis, (cui me deuoui, fidemque dedi) deserere, turpiterque fugere.

Et attende diligenter, sæpe eum qui labitur in Impatentiam, non putare id ei accide-
re

re ex sua quam patitur aduersitate, sed ex impeditio-
ne ab operum bonorum exercitio,
quæ ex ea oritur. Proindeque
impatientiæ suæ causam non
refert in ipsam infirmitatem
vel aduersitatem, sed partim
in seipsum, quòd eam cõme-
ruerit, & quasi accersuerit:
partim in eos quibus molestus
esse debet etiam inuitus: par-
tim denique in omissionem
spiritualium exercitiorum.

Idem obseruare licet in am- *Ambi-*
bitiosis, qui vt ambitionem *tioso-*
suam apud homines tegant *rũ va-*
vel excusent, dicunt se digni- *na ex-*
tates aut officia non ambire *cus-*
pro- *tio.*

propter honorem proprium, sed ob necessitatem suorum cognatorum, quos iuuare debeant. Quòd verò in his omnibus lateant pessimi laquei diaboli, ex eò apertè deprehèditur, quòd non deponant ista sua desideria & ambitionem, tametsi alij sint qui ea, quæ ipsi aut in bonorum operum exercitatione, aut erga cognatos suos fieri exoptant, præstare possint.

Alia Verbi gratia. Dicis infirmitatem tuam te non reddere
vana Impatientem, quòd molesta
excusa sit: sed quòd grauentur qui in
tiolm. ea tibi ministrant. At si con-
patie- tin-
tia.

tingeret easdem personas tibi ministrantes, etiam alijs infirmis ministrando grauari, parum te afficeret. Vnde aperte deprehendis, non illorū molestationem, sed tuam ipsius cupiditatem esse causam Impatientiæ tuæ. In hunc modum etiam poteris dolos in alijs rebus ac negotijs tuis latentes facile deprehendere.

Habeas ergo tibi hoc perpetuum memoriale, vt cūm *Const-
lium* contigerit te aliqua aduersitate *pro in-
firmis.* visitari; nullatenus ab ea liberari desideres: quoniam ex isto tuo desiderio, duo tibi grandia mala eueniunt, Alterum

rum

rum quòd auferat à te virtutem Patientiae, aut saltem viam sternat ad Impatientiam. Alterum quòd priuet te merito apud Deum, qui breuissimi temporis Patientiam, cum propriae tuae voluntatis in ipsius diuinam voluntatem resignatione coniunctam, in opus perfectae Patientiae reputat.

*Consi-
liū pro
quibus
libet
affli-
ctis.*

In his ergo & alijs operib⁹, negotijsq; tuis omnibus, hanc tibi regulam serua: vt cor tuum à desiderijs omnibus subtrahas atque expurges, nihilque aliud petas, quàm quod diuinæ voluntati placeat, idq; cum debita humilitate atque
sim.

simplicitate. Quo facto in nulla deinceps aduersitate facile turbaberis: quod nulla tibi accidere possit absque beneplacito diuinæ Maiestatis. Atque hæc faciens, nunquam à via perfectionis aberrabis. Quando autem pro aduersitate quã sustines pellenda, medijs quibusdam uti necesse est; sollicitè te observa, ne affectus cordis tui iisdem adhærescat. Neue iisdem utaris vt ab aduersitate libereris: sed quia Deo sic placeat, vt his medijs utaris. Atque tunc non turbaberis, etiam si illa tibi non conducant ad liberationem ab aduersitate.

C A.